TENTAMEN MEDICO-CHIRURGICUM INAUGURALE,

QUAEDAM

DE

ULCERE MALIGNO

COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS SIMPSON,

Scotus,

IN CLASSE REGIA BRITANNICA

CHIRURGUS.

"Nulla salus bello."

VIRG. ÆN. lib. xi, lin. 362.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXIX.

HENRICO FORBES, Armigero,

IN

CLASSE REGIA BRITANNICA

PRAEFECTO,

VIRO

REI NAVALIS PERITO,

CORDIS BENEVOLENTIA, ET MORUM SUAVITATE,

INSIGNITER ORNATO,

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA;

HOC TENTAMEN,

ANIMI GRATI PIGNUS PEREXILE,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DEDICAT

JACOBUS SIMPSON.

Sic alid ex alio peperit Discordia tristis,
Horribile humanis quod gentibus esset in armis;
Inque dies belli terroribus addidit augmen.

Lucr. lib. v, *lin.* 1304.

TENTAMEN MEDICO-CHIRURGICUM

INAUGURALE

DE

ULCERE MALIGNO.

AUCTORE JACOBO SIMPSON.

PROOËMIUM.

INTER catervas malorum quae res bellicas comitantur, pauca vel nulla magis Chirurgi Militaris attentionem sibi jure vindicant, quam morbus de quo hisce paginis proposui tractare, propterea quod nostris nautis et militibus tantas strages edat.

Auctores non parvi nominis in nostra Britannia et Gallia huic morbo non levem laborem impenderunt; nihilo tamen secius diversae sententiae quas et ad historiam et morbi curationem profeerunt, plane ostendunt, ut morbi natura nondum satis intelligatur.

 Mihi

Mihi oblata est occasio non pauca hujus morbi exempla videndi; et tamen fateor, hoc opusculum parvum vel nihil novi continere, et legibus hujus Almae Academiae obtemperandi studio, tantum conscriptum.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus alia nomina * aliis auctoribus accepit, et nisi fallor, Ulcus Malignum a Doctoribus Blane et Trotter ita accurate descriptum, eadem specifica Ulceratio est, quam Chirurgi Britannici Gangraenam Nosocomialem vocari volunt.

Nunquam vel certe rarissime accidit, hunc morbum inter homines vitam domesticam degentes, sese ostendere: et in civilibus nosocomiis optime administratis raro observare. Neque tamen

* La Gangrene Humide des Hôpitaux, Pouteau—Pourriture d'Hôpital, Delpech—Putrid Ulcer, Mr. Gillespie—Malignant, Drs. Blane and Trotter—Hospital Grangrene, Professor Thomson—Phagedaena Gangraenosa, Mr. Blackadder.

men rigidissima disciplina Britannicae classis et exercitus, cum peritissimis chirurgorum conatibus, hanc pestem praecavere semper potest; praesertim illis calamitosis saevi belli temporibus, quando vulnerati homines in navibus bellicis et militaribus nosocomiis congregantur.

Hìc tamen notandum est, sequentes observationes de Ulcere Maligno in frigidis et temperatis regionibus praecipue tractare; quia hic morbus, perinde ac plerique alii, in calidis regionibus cursum finire ociùs videtur.

Divisio hujus morbi in specialia, et generalia symptomata, maxime idonea est; alii Auctores non parvi nominis * credunt, generalia indicia, topica praegredi; et alii longae experientiae † in hoc Ulcere contrarium dicunt. Non mihi licet hanc litem dirimere; sed fortasse in uno epidemico, generalia symptomata, topicis, in altero, topica indicia, generalibus praecurrere possunt. Utcunque sit, nos oportet, in posteriori modo, aggredi opus; imprimis, localia symptomata ad morbum dignoscendum sese offerunt, deinde in

casibus

* Professor Thomson. Dominus Hennen.

† Pouteau, Dr. Rollo. Delpech.

casibus quos vidi, hic ordo semper observatus fuit.

Hoc Ulcus, in militaribus nosocomiis, et navibus bellicis, plerumque se ostendit, aut invadendo vulnere, aut Ulcere ex alia causa facto, et etiam aliquando ulla parte, epidermide tantùm orbatâ.

Unum, vel plura summae Ulceris partis puncta, maculis cinereis subsimilia apparent, quae totam superficiem contegere pergunt, et deinde Ulceris ingens dolor aegrum turbat. Ejus labia tumida fiunt, et circa proxima cutis, quae vitium receptura est, interdum colorem lividum, interdum rubicundum habet, ille in sphacelum, hic in absorptionem ab Ulcere, fere semper desinit.

Exit humor parcus, sed viscidus, et paululo sanguine miscetur. M. Delpech inquit,*—"Ils sont bien eloignés du caractère du pus, mais seulement ichoreux, fétide, et exhalant l'odeur particulière, et propre à la maladie."

In nonnullis exemplis, tota vulneris aut Ulceris superficies simul implicatur, eademque cum humore viscido obducitur.

Doctor Trotter declarat, hoc Ulcus, partes vesicatoriis

* Vide Memoire, sous le nom de Pourriture d'Hôpital—Par M. Depech, p. 10.

sicatoriis laceratas saepe tentare; sed me judice, illae partes, huic actioni, vulnere lanceolo facto, minus opportunae sunt, propterea quod summâ pelliculâ aliquando solum privatae sunt, et in biduo triduove sanescunt.

Sed quo multo amplior exulceratio, eo multo magis verisimile est, eam, tantam pestem edituram esse.

Hinc ratio est, ustiones, novam plagam et veterem, hujus specificae actionis frequentissimam sedem esse. Doctor Trotter haec verba habet:* "But parts that had been burnt, above all other accidents, most quickly assumed the nature of this horrid sore."

Ulcera specifica ab impetu maligni ulceris haud omnino immunia fiunt. Noster Praecl. Professor Thomson inquit,† "I have seen it, however, repeatedly attack cancerous sores and venereal ulcers." Eo magis tamen adducor ut credam, quando aegroti effectibus hydrargyri subjiciuntur, tunc Ulcera venerea huic actioni parum obnoxia esse. Dum hoc ulcus in nave bellica, Anglice *Challenger*,

pessime

* Vide Dr. Trotter's Medicina Nautica, vol. ii, p. 176, 2d edit.

† Lectures on Inflammation, p. 460.

pessime grassabatur, eo tempore, plura venerea ulcera tractavi; nullum eorum tamen, minimam propriae hujusce Ulceris actionis proclivitatem ostendebat; quum vulnus lanceolo factum, vix aut ne vix quidem immune fuit. Dominus Edwards, qui cum Doctore Trotter communicavit, his verbis utitur:* "There had been, in the course of the cruize, several that had large venereal ulcers, yet not one degenerated into the sore, that was so troublesome in the ship. This is a great proof, when the constitution is influenced by a specific disease, it is not so liable, or not at all liable, to be attacked with this disease."

In omnibus exemplis quae in meum conspectum veniebant, Ulceris forma subrotunda erat. Dominus Hermen ait,† "Whatever might have been its original shape, it soon assumed the circular form."

Nonnunquam evenit, summam Ulceris partem uno die, supra oras elevari, sed altero, excavari.

Dolor acutus, inter calida seu remedia stimulantia applicanda, vel noctu, nunquam non augetur.

Malum

* Vide Trotter's Medicina Nautica, vol. iii, p. 476.

† Vide Observations on Military Surgery, p. 233.

Malum odorem et Ulceris proprium, ad morbum distinguendum, nos oportet respicere.

Glandulae lymphaticae vicinae plerumque tument et dolent: mihi contigit hoc indicium semper videre. Illae glandulae ad suppurationem aliquando spectant, et, ex viginti quinque exemplis, quinque in puris formationem desierunt, et horum duo, naturam primo ulceri non alienam habuerunt; Doctor Trotter inquit,* "and when they suppurated, that they constantly exhibited the complexion of the parent sore." Vasa absorbentia, quae illas glandulas transeunt, rubra quoque facta sunt, et pressu maxime dolent.

Subinde erumpit ex hoc ulcere cruentus humor; et fertur, profusionem sanguinis tam ingentem fuisse, ut oporteret, ad conservandam aegri vitam, artum affectum amputemus.

Interdum sed raro, hic morbus paucis diebus tantas strages edidit, ut musculi, tendines, vasa sanguinea, et etiam ossa ipsa, perdita fuerint. Constat, illas partes, gangraenae et sphaceli actione, solum absumi posse. Dominus Hennen inquit†, "In some cases, a total absorption of the phosphate

* Vide Medicina Nautica, vol. ii.

† Opere citato, p. 241.

phate of lime took place, and the bone was converted into a cartilaginous mass."

Haec ulceratio, extra limites cutis, et telam cellularem raro serpit, et ad illas texturas aliquot mensibus cohiberi potest; quod si humor non multus et glutinosus effluat, et nihil ruboris, aut proclivitatis ad gangraenam Ulcus cingit. Hujus specificae actionis, quinque mensibus ad cutem et telam cellularem manentis, fui testis; nihilo tamen secius, ingens dolor, medicamentis et tempori cedere recusavit.

Veri itaque simillimum videtur, duas morbi varietates, sed fortasse gradu solùm differentes, locum habere. In unâ, partes subjacentes, gangraena et sphacelo citissime pereunt: in alterâ, absorptio ab ulcere tardius celeriusve erodit.

Morbi decursus, in diversis hominibus, eadem varietate laborantibus, haud parum variare potest; et quaedam, epidemici naturae, regioni frigidae aut calidae, tempori anni, primae plagae conditioni, et situi, aegri temperamento, et nonnullis coeli qualitatibus incognitis, propria sunt.

Siquando hoc Ulcus inter homines navis bellicae grassatur, exiguae phlegmonae in diversis nautarum

nautarum corporis partibus haud raro nascuntur. Maxime dolendum est,

"Qualia multa mari nautae patiuntur in alto;"

illas phlegmonas, hac specifica actione, saepe implicandas esse, modo qui postea dicetur.

Mentio de eis raro aut nunquam facta fuit, nisi a medicis* inter nautas medicinam facientibus.

Igitur idoneum est, ad aliquam rationem respiciendam, in maritimo genere, quod phlegmonas inducit.

Major harum pars, genibus, carpis, et cruribus insidet, et non ullae in corporis trunco, mihi sese offerebant, quae propriam hujusce Ulceris formam induunt. Dolore urente et rubore ambiente primum orientibus; paucis post diebus, deinde vesicula in media parte plerumque apparet; tum absorptio ab Ulcere serius ociusve pergit.

Attritus densi sagi manicae, quae cum aqua marina saepe iis madet, carpi inflammationem inducere potest; quamobrem nautae, qui illi causae plurimum objecti fuerint (veluti homines in ros-

 tro

* Vide Blane on the Diseases of Seamen. Trotter's Medicina Nautica, vol. ii and iii. Mr. L. Gillespie. London Medical Journal, vol. vi, p. 375. Dr. Hammick's Thesis, 1814, Ed.

tro navis bellicae parvae occupati) hujus corporis partis phlegmonis praecipue laborabant.

Hìc opus est mentionem facere, nautarum genua, excitanti inflammationis causae aliquando objecta fuisse, quos inter foros cum lapidibus fricandos, genibus niti oportet; et hinc ratio redditur, phlegmonas in his partibus comparere.

Attritus laxarum braccarum, cruris inflammationem excitare potest, sed ad minorem modum, quàm carpi. Classiarii milites his causis minus, objiciuntur, quam ob causam, his phlegmonis multo minus opportuni sunt.

Ex quo infra dicendum erit, haud absimile est, salsos commeatus ad has phlegmonas suscipiendas aliquam proclivitatem gignere posse. Navis bellica, Anglice *Challenger*, apud Plymuthum, mense Dec. anno 1813, cum viginti aegris hoc ulcere laborantibus, diversis morbi stadiis appulsa fuit; quorum novem, pessime aegrotantes in Nosocomium Plymuthi Regium Navale recepti sunt, sed reliqui in navi bellica manentes, ibi medicinam acceperunt. Navis, quinque circiter septemanas, ibi loci anchoris retenta fuit, et nautarum cibus ex pari quantitate carnium recentium, et frugum, constitit; eo tempore, non ullae phlegmonae se

ostendebant,

ostendebant, sed duo vulnera lanceolo facta, male se habuerunt. Duabus Septemanis jam exactis, post discessum ex portu, quando novem homines ex octoginta, his phlegmonis impliciti fuerunt. Illae carpis praecipue insederunt, et glandulae axillae in tribus exemplis tumebant; sed aliae sex phlegmonae, usu aquae quam frigidissimae assiduo, et salibus neutris, semel iterumque assumptis, resolutae fuerunt. Illud sedulo tenendum est, frigida his phlegmonis multum prodesse, et calida, plurimum nocere.

Observare parum necessarium est, nulla scorbuti indicia adfuisse, et in classe Britannica nunc raro sese ostendere, multas ob causas in hoc opusculo non explicandas. Veruntamen, victus cui nautae assuescunt his phlegmonis proclivitatem dare videtur. Solertissimus medicus his verbis utitur:* "It is found, from direful and multiplied experience, that not only those who are affected with actual symptoms of Scurvy, but those who are exposed to the causes of it, and whose constitutions are in such a train as to fall into it, are peculiarly susceptible of Ulcers of

* Vide Blane on the Diseases of Seamen, p. 502.

of the most malignant kind from the smallest injury which breaks the skin."

Cibi salsi animalis nimia copia, frugum nimis parca, cum octo unciis spiritus distillati, aquâ diluti, quotidie assumptis, *pholgisticam diathesim* nautarum aliquo modo gignere possunt. Harum phlegmonarum ratio fortasse erit, quòd cibus causa praedisponens sit, et illae supra dictae causae excitantes esse possunt.

Symptomata Generalia, modò sthenici, modò asthenici typi, et etiam aliquando non omnino apparent.

In asthenico typo, pulsus frequens, lingua arida, appetitus defectus, alvus plerumque astricta, calor cutis parum auctus, cum magna molestia adsunt.

Si diathesis phlogistica adsit, pulsus durus, oculorum dolor, calor major, et sitis urgens comitantur, quibus accedit summa irritabilitas. Siquando indicia generalia graviora fiunt, tremores artus affecti, et spiritus admodum demissus superveniunt, quoque pulsus frequens et debilis est, et mox aeger faciem cadaverosam induit. Chirurgus peritissimus his verbis utitur:* "Men who

* Vide Hennen Opere citato, p. 235.

who had borne amputation without a groan, shrunk at the washing of their sores, and shuddered at the sight of a dead comrade, or even on hearing the report of his death, instantly predicting their own dissolution, and sinking into sullen despair. I have never, in one single instance, seen this irritability wanting; and I am, therefore, led to suppose, that those practitioners who assert that they have seen whole muscles, nay limbs, come away without pain, must have mistaken the nature of the disease they witnessed, or have seen hospital gangrene, when large sloughs were separating, after the febrile disease had subsided." Paulo post Dominus Hennen inquit, "Incessant retchings soon came on; and with coma, involuntary stools and hiccough closed the scene."

In casibus quos mihi contigit videre, generalia indicia, pro rata parte, leniora fuere; alvus plerumque tarda erat, sed irritabilitas, majorem in modum urgebat, quàm alia symptomata

CAUSAE.

CAUSAE.

Contagionem vim possidere hunc morbum excitandi, satis certum est, sive Ulceris humore, parti exulceratae proxime applicato, sive effluvio contagioso (ut multi credunt) in ipso aëre diffuso, et per auras communicato.

Idoneum est, ut nonnullas causas quae viam sternunt, ad effluvia partibus exulceratis adeo noxia reddenda, vel etiam effluvium ipsum generandum, explicare conemur.

Bene notum est, hunc morbum raro sese ostendere, nisi quum plurimi homines, in angustum locum congregantur. Delpech haec verba habet:* "La nature du contagium paraît etre animale, et promener des emanations des hommes entassès, dans des epaces très étroit, et fermés;" verùm magis praesertim si sibi alieni sint.

Quamobrem inter homines, in eandem navem bellicam recenter collocatos, hoc Ulcus praecipue grassatur. Dr. Rollo ait, Ulcus, quod ab illo tam accurate descriptum fuerit, turmam hominum, tormentorum bellicorum, quàm recentissime conscriptam, invasisse.

Plures

* Opere citato.

Plures aliae res, ad effluvium humani corporis faciendum, inimicum sanitati spectant; quales, vestitus, et corporis immunditia, cum aëre humido sunt. Quoque videtur, *seminium* in humano genere existere, quod, ob homines sibi alienos, eodem loco habitantes, proclivitatem morbo praebere potest. * " In the Isle St. Kelda, they contract a cough as often as any strangers land, and stay for any time among them, and it continues for some eight or ten days; they say the very infants at the breast are infected by it." G. Blane, Baronetus idem perspicuum plane reddit. " It certainly sometimes happens, that a ship, with a long established crew, shall be very healthy; yet if strangers are introduced among them who are also healthy, sickness shall be mutually produced."†

Humida aëris conditio contagium corpori magis nocivum reddit, et fortasse cum aliis causis morbum ipsum gignere potest. Doctissimus Professor Thomson inquit,‡ " Typhus fever, and probably hospital gangrene, seem capable of being produced in certain circumstances where the individuals affected by them have not been obviously exposed

* Vide Martin's Description of the Western Isles.

† Opere citato, p. 223.

‡ Lectures on Inflammation, p. 487.

exposed to infection." Aër humore onustus, plures effluvii particulas in solutione tenet, quàm aër siccus; et florum odor, hanc sententiam aliquatenus confirmat, tanto fortior, quanto aër humoris plus habet.

Hinc ratio in promptu erit, quicquid, hygrometricum aëris vaporem aufert, pariter morbum inducendi periculum minuit. Ligno resinóso concremato, inter febris intermittentis aut remittentis grassationem, sine dubio, miasmata paludosa, corpori minus infesta fieri possunt; et ut opinor, ejus effectus, aeri vapore privato partim tribuendi sunt.

Mirabilis effectus *harmattani*, vel peculiaris Africi venti, fortasse eodem modo explicari potest. * "It stops the progress of epidemics; the small-pox, remittents, &c. not only disappear, but those labouring under these diseases, when a harmattan comes on, are almost certain of a speedy cure. Infection appears, then, not easily communicated by art."

Inter medicos multum disputatum est, an necne, contagionis hujus effluvia per auras communicari

possint.

* Vide Philosophical Transactions, vol. 71, p. 53.

possint. Non mihi videtur, contactum ad hunc morbum faciendum semper necessarium esse; occasione saepe data, vulnus lanceolo factum videndi, hoc Ulcere implicitum. Et profecto, phlegmonae jam descriptae, in specificam ulcerationem plerumque incidunt; et semper fortasse, nisi idonea remedia tempestive adhibeantur; et mihi contigit ulcerationem progredientem observare, quum nautae *Chirurgi* auxilium implorabant. In utrisque exemplis, non probabile est, contactum ullius panni, aut chirurgi manuum contagionem aliunde advexisse. Delpech haec verba habet,* "La pourriture se déclare constamment, sur les plaies disposèes de telle sorte qu'elles puissent être touchèes litrement, par l'air." Doctor Thomson et Dominus Hennen non dubitant, quin morbus auris moveri possit. Haud absimile, hoc effluvium minus aliis, veluti influenza, variola, &c. sed plus aliis, uti psorâ, lue venera, volatile esse.

Spiritus distillati nimius usus, procul dubio causa praedisponens fit; ejus actio, ab aucta *phlogistica diathesi* oriri potest, et hoc pacto, externa inflammatio excitari; pari quoque ratione, salsi

* Opere citato, p. 27.

animalis cibi nimia copia, eundem effectum habet.

Immunditia in variis corporis partibus, veluti nautarum carpis et genibus, cum aliis causis supra dictis, illas partes phlegmonis magis proclives; quam alias facit, ob inflammationem prompte excitandam.

Fertur, usum hydrargyri diu continuatum, hujus Ulceris aliam causam esse; et a Domino Mathias bene comprobatum est, hydrargyrum male administratum, corporis constitutionem malis non paucis obnoxiam reddere. Nihilominus tamen, si hoc eximium remedium caute adhibeatur, persuasum habeo, non oportere hydrargyrum, causam hujus Ulceris excitantem enumerare.

Non satis cognitum est, ad quod spatium, effluvia pestiferos effectus edant; fortasse solum, paucos pedes; verùm hoc ab aëre, effluviis plus minusve onusto, variat.

Omnino videtur, ut haec specifica actio, paucis diebus, post effluvium superficiei ulceratae applicatum, sese ostendat, eandemque generalem normam observet, similiter ac alii morbi, uti vaccinea, Ulcus venereum, contactu communicati. Quando contagium per auras communicatur, verisimile

simile est, idem intervallum temporis intercedere. Non mihi satis constat, effluvia noxia, per spiritum in pulmones trahi, et suos effectus deinde prodere. Magis verisimile est, aëra contagii effluviis corruptum, et admodum onustum, summam ulcerationis partem contingere posse, et morbum facere, perinde ac morbum contactu communicari.

~~~~~~~~

DIAGNOSIS.

PERMAGNI interest, hoc Ulcus, quamprimum id fieri potest, ob morbum, primo impetu, medicamentis multo facilius cedentem, et contagium praecavendum, distinguere.

Porro opus est, Ulceris Maligni notas bene observare, quia Ulcus scorbuticum, et Ulcus quod, febre continua vel remittente superveniente, admodum ingravescit, cum eo confundi possunt.

Mihi persuasum est, stomacacen, maculas cutis livescentes, tumores circiter poplites et crura, cum Ulcere ipso sine dolore, Ulcus scorbuticum sat superque distinguere. Contrà, dolor acerbus
~~~~~~~~

cerbus calore auctus, forma subrotunda, foetor Ulceris proprius, cum luteo colore, et plerumque glandularum tumor vicinarum, Ulceri Maligno adsunt. Valde dubium est, Ulcus Scorbuticum, et Malignum, eandem plagam simul unquam invadere; tandem nobis videtur, Ulceris Maligni actionem magis violentam, Scorbutici superare posse, et propriis indiciis sese ostendere. Nos oportet, ullam ulcerationem insolitam, in militari nosocomio vel nave bellica indagare: quod si animum ad faciem, et Maligni Uceris decursum, diligenter attendamus, non censeo, hoc, cum Ulceratione tantummodo recrudescente, febre idiopathica superveniente, confundi posse.

Ulcus quod, febre superveniente, late serpit, simul ac febris symptomata mitigantur, sanum pus effundit, et cito impletur. Calida remedia, alterius dolorem augere vix non possunt, eadem, alteri praesidio sunt.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Prognosis, epidemici naturâ, regione calida vel frigidâ, corporis parte ubi Ulcus situm est, ejus locali decursu, et generalibus indiciis, lenioribus, vel gravioribus, praecipue ducenda est.

Aliquando sed raro, symptomata et specialia, et generalia, quàm gravissima sunt; quo minus aeger tribus vel quatuor diebus superfuerit. Nonnunquam accidit, aegrum, post aliquot septimanas vel menses, febre hectica superveniente, morti succumbere. Multo saepius Ulcus sanescit, et secunda valetudo restituitur.

Prognosis tamen fausta haud temere praedicenda est, propterea quod Ulcus sanescere pergit, identidem recrudescit, et tum potius aegrotantis calamitatem auget. Nunquam mihi accidit, aegrum videre qui huic morbo succubuerit.

PROPHYLAXIS.

PROPHYLAXIS.

In omnibus morbis e contagione ortis, oportet, omnia, quae periculum minuunt cum aliis morbum communicandi, in mente recolamus, et illa quae fieri possunt, exequamur.

Imprimis, ratio suasit, et experientia satis comprobavit, aegros hoc Ulcere laborantes, ab illis adhuc sanis, sine mora, separandos esse, et in cubiculo frigidulo et bene ventilato tenendos. Dominus Joannes Bell inquit,*—" Let him bear in mind, that this is an hospital disease; that without the infected walls the men are safe."

Munditia, tam in hoc, quàm in unoquoque morbo e contagione orto, cum nimio cultu conservari non potest. Primo morbi impetu, aegri corpus aqua, aut frigida, aut tepida, aut calida, ita res se habent, lavare oportet. Stragula et lectus pensilis nautarum, vento perflando per aliquot horas, haud raro objicienda sunt.

Aer purus, et saepe renovatus, ad auxilium aegrotanti praebendum, et aera sanis minus periculosum

* Vide Principles of Surgery, vol, i, p. 127.

culosum reddendum, caeteris omnibus longe praestat. Quamobrem animum diligenter attendere oportet, ut effluvium aëre puro et sicco misceatur, quantum fieri possit; id omni periculo fere vacat.

Ad hanc opinionem confirmandam, mihi licet mentionem facere, si tantùm unus, duo, vel tres homines, hoc Ulcere laborantes, in amplo et bene ventilato Regii Navalis Nosocomii cubiculo, semper optime administrati, collocantur, raro accidit, hujus Ulceris contagionem ab implicito, ad sanum per auras transmitti. Nunc satis bene cognitum est, febris continuae contagium periculo fere vacuum esse, si summa attentio, ad servandum aëra bonum et frigidulum observetur. Dr. Haygarth haec verba habet:*—"Hence it appears, that air strongly impregnated with infectious matter may be breathed for a short time, and air weakly impregnated for a long time, without any injury."

Quin et contagii effluvium cum aëre puro bene commistum, vis pestiferae multum aufert, perinde ac nocivi effectus ullius alius potentissimae causae copiosissime dilutae plurimum minuuntur. Del-

pech

* Dr. Haygarth on the Prevention of Infectious Fever, p. 41.

pech ait,* " la ventilation, le renouvellement frequent de l'air, ont été mis au nombre, des moyens les plus efficaces, parmi les soins preservatifs."

Contrà, si aër effluviis admodum onustus sit, veluti in navibus bellicis aut nosocomiis militaribus, morbus plerumque pessime grassatur, ut minima plaga vix aut ne vix quidem hoc malum fugere potest.

Aëra siccum reddere expedit, ob causas jam recensitas.

Vapores qui ex acido nitroso, oxy-muriatico, et muriatico nascuntur, foetorem ex hoc Ulcere orientem, procul dubio adimunt, et ad morbum inducendum, nonnihil proclivitatis minuere possunt; sed memoria tenere oportet semper, aëra purum, et munditiam praecipuum locum, nunquam non habere. An acidum muriaticum omnibus caeteris vaporibus anteferendum sit? fortasse aquam attrahere, et hoc modo, aëra hygrometrico vapore privare potest. Multi credunt, hujus gasis acres vapores generali usui multum obesse; sed hujusmodi metum, Domini Delpech longa experientia docemur, esse inanem; et ille peritissimus chirurgus haec verba habet.† " Nous pouvons assurer que

nous

* Opere citato, p. 116.

† Opere citato, p. 118.

nous n'avons pas trouvè de préservatif plus efficace, et plus prompt dans des effets. Trois ou quatre fois par jour, les croisèes dans salles etant fermèes, on promenait lentement, et a diverses reprises, dans l'etendue d'une même salle, une capsule guitonnienne pendant le degagement du gaz. On avait soin, de ne saturer que successivement l'atmosphere; en sorte qu' apres la fumigation, l'odeur du gaz muriatique fût à peine sensible, et qu'on distinguât dans l'air un tres-leger nuage blanc, uniformement repandu. Nous pouvons certifier que toutes les fois que la fumigation a été faite avec ces précautions ; elle n'a jamais de toux, ni la moindre sensation incommode, quoique nous eussions habituellement dans nos salles quelques maladies de poitrine."

Par ratio est, cur ad suffienda stragula, vestimenta, et fascias, cum ejusdem acidi vaporibus, subinde videndum sit.

Notatu vix dignum est, eandem spongiam diversis aegrotantibus nunquam adhibendam esse; cautione tamen opus est, ad spongiam in aqua prius ponendam, quam ea eidem aegro iterum applicetur.

Siquando hoc Ulcus in nave bellica multum

 praevalet,

praevalet, minimam inflammationem externam vigilare, et puris formationi occurrere, summâ ope niti debemus.

Chirurgi navalis profecto munus est, in ducis animum descendere; multa beneficia, edictis mandatis, nautarum vestimenta, tum primum madida, siccis commutando, et etiam ad munditiam imperandam, eorum crura et brachia subinde inspiciendo, provenire posse. His igitur obtemperatis, phlegmonae supra descriptae aliquatenus praecaveri possunt; et si ullae admodum mature deprehensae, et idonea remedia adhibita sint, Maligno Ulceri ex hac causâ orienti, quantum fieri poterit, praecautum erit.

CURATIO.

Curatio, non secus ac historia morbi, in partes duas sese dividit, itaque eundem ordinem observare debemus; sed imprimis de phlegmonis jam descriptis pauca dicere expedit.

Phlegmonae quae nostris classibus, paulo post portum relictae essent, adeo communes sunt, et tantum

tantum proclivitatis in Malignum Ulcus desinere habent (si hoc Ulcus in nave bellica grassetur, sed non aliter), ut ad earum suppurationem praecavendam, summa attentione opus sit.

Ab quo de phlegmonis jam dictum est, ratio in aprico erit, cur ad has phlegmonas quàm citissime resolvendas, semper respiciendum sit.

Quod ad remedia extrinsecus admovenda attinet, memoria tenere semper oportet, frigida, omnibus caeteris remediis praestare, sive aquam frigidissimam, sive solutionem acetatis plumbi, sive acetum cum aqua plurima dilutum; ita hìc verba Celsi mutuari licet: "Sed ea quocunque modo imposita est, dum madet, prodest, itaque inarescat non est committendum."

Si phlegmonae cruribus insideant, aeger in dorsum cubare debet; si brachiis, bonum etiam remedium quies est.

Tenui diaeta utendum est, ex frugibus praecipue consistente (si illi comparari possint), quoque proficit laticibus meracibus abstinere, et sitim aquâ frigida, vel cerevisia tenui sedare.

Remedia purgantia adversus has phlegmonas non mediocriter juvant, et sales medii utilissimi inveniuntur.

Illa

Illa remedia et dolorem et inflammationem solvunt; contrà, calida dolorem pessime intendunt. Dominus Gillespie haec verba habet:* "When warm fomentations and poultices were applied, with a view of discussing the inflammation, the ulcer soon began to spread, a fetid corrosive ichor was discharged, which soon acted on the surrounding parts, and, in the space of a few days, produced a foul, sloughy, gangrenous ulcer." Non solum calida remedia his phlegmonis nocent, verum etiam, ut opinor, calida et stimulantia medicamenta, Maligni Ulceris inflammato, et stadio dolenti semper inimicissima sunt. Doctor Blane inquit,† "Warm applications were found to be hurtful in the acute and gangrenous state of ulcers, according to the testimony of several of the surgeons of the ships and hospitals." Dominus J. Bell quoque ait,‡ "Tincture of myrrh, aloes, and other drugs still more stimulant, are improperly used in this sore, as they have no effect while the slough remains, and when it gives way, produce unspeakable torture."

Oleum

* Vide London Medical Journal, vol. vi, p. 375.

† Diseases of Seamen, p. 525.

‡ Principles of Surgery, vol. i, p. 118.

Oleum terebinthinae, sive purum sive pari unguenti resinosi quantitate mixtum, a nonnullis auctoribus multum laudatum est. Mihi contigit idem medicamentum iterum iterumque adhibere, sed sine ullo commodo, et plerumque cum dolore et inflammatione ingravescente. Nobis visum est, hoc remedium, acuta inflammatione inclinata, Maligno Ulceri proficere posse; et fortasse futurâ experientiâ docebimur, ut hoc tempore, oleo terebinthinae, vel ullo alio stimulante medicamento, uti solùm liceat. Auctor non parvi nominis inquit:* "In the secondary sloughs, I mean such as appeared after the violent fever and inflammatory symptoms were gone, the use of the escharotic application was singularly exemplified. But the body was now reduced and emaciated, and could bear local and general stimulants, not only with impunity, but with advantage."

Frigida et sedantia remedia hujus Ulceris dolorem urentem mulcere raro frustrant, et, me judice, semper aliquid beneficii, et interdum praecipium et unicum auxilium afferunt. His lotionibus maximum commodum est, ut in inflammationis

* Vide Trotter's Medicina Nautica, vol. ii, p. 218, 2d ed.

mationis stadio, aliis remediis, quae fiunt necessaria, opitulentur; qualia sunt solutio nitratis argenti et solutio arsenicalis.

Aquea opii solutio aptum remedium inventa fuit.

Sanguinis detractio, hirudinibus facta, anceps remedium videtur, quia haud absimile est, haec vulnuscula in ulcerationem Ulceris Maligni propriam desitura esse.

Solutio nitratis argenti fortissima adversus hoc Ulcus multum prodest, et minime incredibile, eam tantum auxilii praestare, quia partem rodit cui proxime applicatur. Quod si Ulceris superficies exigua est, procul dubio hoc remedium optime respondit.

Solutio arsenicalis ad gangraenam nosocomialem curandam (sanatu alioquin difficillimam), summas laudes nuperrime accepit. Dominus Blackadder haec verba habet :* "From this period the solution of arsenic continued to be employed with uniform success. Patients whose sores had resisted, as was said, almost every other treatment, were admitted from other hospitals, and cured

* Vide Blackadder on Phagaedena Gangraenosa, p. 23.

cured by it; and it was also, as I was informed, ultimately introduced into other hospitals, and proved equally successful." Solutio arsenicalis, secundum Domini Blackadder sententiam, ob vim causticam quam possidet, faustos effectus edit, et profecto haec sententia rationi consentanea; nobis tamen videtur, nitratis argenti effectum tutiorem et meliorem fuisse.

Acidum citricum, primo Ulceris stadio, raro vel nunquam accommodatur.

Acidum muriaticum, sive purum sive aquâ dilutum, adhibitum fuit, et in illo modo, vi caustica pollet, itaque aliquid beneficii afferre potest; sed in hoc, potius nocet.

Succus gastricus a nonnullis laudatus fuit; verùm ut opinor, eundem effectum ac acidum citricum, vel acidum muriaticum dilutum, habet.

Unguentum hydrargyri per acidum nitricum expertus sum, sed majorem inflammationis modum fere semper movens.

Pulveres rhaei, cinchonae, et carbonis, parum opis praebere visi sunt, atque sequentia verba probe confirmaverunt.* "Some applications which agreed

* Vide Hennen's Observations on Military Surgery.

agreed for a day or two, became either inert, or hurtful, at the end of that period, and we were guided in their use by the effects which they seemed to produce."

Cauterium actuale a nonnullis chirurgis Gallicis praestantissimum auxilium existimatur. Delpech his verbis utitur :* " Rien n'egale la promptitude, et la constance des succès, que nous avons obtenu par le dernier moyen." Saevus dolor quem hoc remedium facit, et vis consuetudinis adversus ejus usum, hujus remedii renovationi, in nostra Britannia obsunt ; " nec unquam nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina."

Siquando sanguinis fluxus ex hoc ulcere exit, imprimis ad aquam quàm frigidissimam assidue applicandam confugere oportebit. Quod si hemorrhagia non cohibeatur, deinde linteolum oleo terebinthinae madefactum, et fasciâ compressum, imponere opus erit ; sed etiam terebinthina sanguinem haud semper compescit, postremo artum affectum amputari debemus. Dominus Hennen ait :† " Our ligatures but too often failed on the main

branches,

* Opere citato, p. 89.

† Opere citato, p. 242.

branches, and any attempt on the smaller was invariably injurious."

Jam dictum est, glandulas lymphaticas in hoc Ulcere fere semper tumere; igitur idoneum est, aquam frigidam, vel solutionem acetatis plumbi his partibus applicare, et ad dolorem leniendum, et suppurationem arcendam.

Ad naturam symptomatum generalium, an sthenici vel asthenici typi, semper respicere oportet, et ita litem componere possimus; inter alios Auctores, regimen antiphlogisticum, inter alios, contrarium imperantes.

Si multum molestiae, primo morbi impetu, in regione epigastrica, ob ventriculum cruda materia, et secretione morbida gravatum atque oppressum, nascatur; veri igitur simillimum, remedia emetica tum multum prodesse, et etiam ad alios sensus ingratos mitigandos, veluti urgentem sitim et cutem aridam, opitulari. Hìc notare idoneum est, ut si validae cordis actiones et arteriarum adsint, sanguinem ante detrahere expediat.

Alvus astricta hujus morbi haud raro comes est; quamobrem alvi ductione opus erit, et sales medii omnibus caeteris, inter stadium inflamma-

 tionis,

tionis, anteponendi sunt. Sub-muriate hydrargyri, cum jalapa, et aliis purgantibus, in morbi decursu uti oportet.

Synocha inter nautas hunc morbum longe frequentissime comitatur, ideoque sanguinis detractio, Doctoris Trotter experientia, summo cum commodo comprobata fuit. Dominus Hennen hoc remedium usu confirmavit, et his verbis utitur :* " A favourable case for venesection at length presented itself; the result was strikingly advantageous, and the practice became general; indeed the very patients themselves implored the use of the lancet, and from that period (October) to March following, we used no other remedy as a cure or preventive."

In exemplis quae tractare mihi contigit, generalibus indiciis leniter se prodentibus, sanguinis detractioni nullus locus fuit.

Potus frigidi et subacidi, ad sitim restinguendam, aegro permittendi sunt, et caute vitandi illi latices meracissimi, qui spiritus distillati nominantur. Fructus maturi omnium fortasse optimi sunt.

Aegrum

* Opere cit. p. 245.

Aegrum in cubiculo frigido, et aëre saepe renovando, tenere convenit. Interdum affusio frigida, vel balneum frigidum, non contemnendum fuit auxilium. Doctissimus medicus inquit:* "The cold bath has been found of essential benefit, in the opinion of several medical men of accurate observation."

Cura opus, quantum fieri possit, ut aegri ab aëre inquinato, in aëra purum transferantur, praecipue cum amputatio necessaria fiat. Dominus Henderson ait, artus quatuordecim hoc Ulcere laborantes, ab illo exscissos fuisse, et omnia membra mutilata, praetèr unius hominis vino dediti, promptam curationem habuisse. Omnibus iis hominibus aëris puri beneficium, cum balneo frigido et exercitatione, fuit.

Cibum animalem, in morbi initio, sive generalibus indiciis synocha est, vel typhus est, negari oportet, et diaetam praecipue ex frugibus consistere. Si tamen signa generalia admodum levia adsint, tum diaeta ex cibo recenti animali cum frugibus confecta, inflammationem Ulcus cingentem, et dolorem haud parum intendit.

Ubi vero dolor et inflammatio desinunt aut

levantur,

* Vide Blane on Diseases of Seamen, p. 533.

levantur, et *phlogisticae diathesis* nulla indicia adsunt, deinde cibus ex materia media confectus, idoneus et utilis est. Vinum quoque in hoc stadio proficit, praesertim si multus humor ex ulcere fundatur.

Fertur, cinchonam et camphoram in hoc stadio interdum prodesse.

Si summa jactatio et vehemens dolor somnum ex toto prohibent, tum unicum praesidium ex opio petendum est.

Mentio jam facta est, tumorem glandularum lymphaticarum aliquando molestum esse; quam ob causam, unguentum hydrargyri tentatum fuit ad has phlegmonas resolvendas, et, nisi fallor, suppuratio, tum maxime ubi accesserit ptyalismus, in duobus vel tribus exemplis depulsa fuit; etiamque nobis visum est, Ulceris curationem expeditiorem fuisse.

Bene notum est, quod si hic morbus per aliquot menses grassatus fuerit, posthac sua sponte haud raro evanescat. Hydrargyrum non tentasse me piguit, priusquam morbus inclinatus fuit, hac ratione habita, fortasse hoc remedium neque omnino profecit. Nihilo tamen secius, hoc eximium remedium futuro experimento non indignum est.

Valde

Valde perspicuum est, ulla graviora phlogisticae diathesis indicia quae adsint, ante hydrargyrum praecipiendum, minuere opus fore.

Dominus Carter, qui cum Doctore Trotter communicavit, haec verba habet—" I received great benefit from (mercury) calomel." Auctor arte chirurgica insignis, sequentibus verbis utitur:* " La pourriture s'est manifestèe dans le quartier de l'hôpital Saint Eloi, destinè au traitement des galeux, et des vénériens ; mais elle y a été incomparablement plus rare, et moins dangereuse que dans le quartier des blessès. Cependant la construction du premier est, on ne peut pas plus vicieuse, et les malades y ont été constamment les autres. Dans le second au contraire les salles sont spacieusse, la plupart bien percèes, et l'encombrement n'y a jamais été portè au même point. Peut-on croire, que l'evaporation abondante du soufre, et du mercure ait altéré le contagium ?"

His verbis perpensis, minime igitur incredibile est, hydrargyrum adversus hoc Ulcus nonnihil valere posse. Hoc tentamen, sequentibus verbis praeclari et elegantis Auctoris, ad finem perduco.

" Quod

* Vide Delpech. Opere Cit, p. 34.

"Quod si remedia quaedam fuerint, quae vi nondum explorata, aut intellecta in corpore humano pollent, id minime mirum, quippe quia tot existant morbi, quorum natura, et causae prorsus lateant."

FINIS.